

THEOPHIL
DE
HOMICIDIO











8,-121

DA BOX





THESES IVRIDICÆ DE HOMICIDIO LEGITIMO, DISPVTANDI gratia propositæ:

ad quas

CHRISTO DVCE:

PRÆSIDE

NICOLAO THEOPH.

publicè respondebit

Iohannes Desid: Fossius

XXXI. Ianuarij.

horâ & loco solitis.



HAFNIÆ

Ex Officina Iohannis Stockelmannj.

1599.





I.

Egitimum homicidium de quo, Deo propitio, vt rem ad verba conferamus, & promissa præstemus, placidam instituemus collationem, est cædes hominis lege permittente vel magistratu iubente ab homine perpetrata.

II.

Hæc occisio pœnam non meretur: Quod enim fit permissu legis vel iussu magistratus, id impunitatem habet.

III.

Ad hanc speciem referri debent cædes factæ in bello iusto. Nam Miles qui sub legitima potestate constitutus, amore exercendæ virtutis non odij meditatione hostem suum neci dat: tantum abest vt pœna dignus sit, vt etiam honoribus & præmijs affici mereatur.

IIII.

Locum habet in hoste, qui nondum in custodiam venit: Nam qui carcere detinetur, eum, siquidem in Principis securitate est, violare non licet.

V.

Qui extra militiam ferro succincti grassantur, & nulla lacessiti iniuria in obuium quemq; ausu temerario impetum faciunt; eos non militum, sed latronum, prædonum, & furum loco habendos censemus.

His

VI.

His annumeramus piratas & omnes qui honestum fugientes laborem, traditi ignauiæ & turpi otio, rapinis, incendijs & omnibus exitijs publicis pascuntur.

VII.

Vindictæ publicæ executor, quem olim lictorem à ligando: hodie verò carnificem à mactando vulgus vocat: si præcedente judicis sententia furem collo fune reuincto strangulat: cædis dolosæ autorj ceruicibus fractis caput abscindit: latronem rotæ affigit, & deniq; maleficos ea seueritate punit quam leges requirunt, nullis pœnis est obnoxius.

VIII.

Etenim non sua sponte, sed iussus, non ex voluntate, sed ex necessitate, vtpote magistratus minister, qui mandatum sibi à superiore munus exequi necesse habet, hominem è medio tollit: Non occidit ipse, inquit Augustinus, qui ministerium debet iubenti: & idem. Quando minister justiciæ occidit aliquem, non ipse occidit, sed Lex: & Hieron: Homicidas, sacrilegos & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

IX.

Idem verò si vindictæ studio & malo animo, vt scilicet odium suum sanguine miseri hominis expleat, etiamsi judicis sententia morti adjudicatum gladio feriat, aut quo-

cunq; modo id fiat, vita priuet: crimen contrahit & homicida est.

X.

Ex quibus efficitur non licere, quod tamen interdum ex praua consuetudine fieri solet, manus violentas huic iustitiæ ministro inijcere, etiamsi in executione capitalis sententiæ nonnihil errauerit.

XI.

Nam injuria huic illata, eo præsertim tempore, quo decretum Magistratus executioni mandat, in ipsum Magistratum, qui Dei vicem in terris gerit, quo nomine reuerenter ab omnibus habendus & colendus, non ignominia afficiendus est, redundat.

XII.

Constitutus in dubio vitæ discrimine, si inimicum suum & aggressorem interimit, dum à capite vim atq; iniuriam propulsat, & ne occidatur, occidit: nullam ob id factum calumniam metuere debet.

XIII.

Hoc siquidem casu vim vi experiri & se & vitam suam ab iniuria & violentia iniusta defendere cuilibet, non modò ius ciuile, verumetiam naturalis ratio, quam Demosthenes κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον rectè vocat, permittit.

Quinimo

XIIII.

Quinimo qui corpus suum, cum potest, non tuetur, peccare videtur, perinde ac si sibi ipse vim inferat.

XV.

Sed hæc defensio, quæ omni iure naturali, gentium, & ciuili conceditur, moderata, & ab omni culpa remota sit oportet: hoc est, ad tuitionem nostri, non vero ad vindictam adhibeatur: illa semper & omni loco conceditur: hæc non nisi in casibus in iure expreßis permittitur.

XVI.

In temporis etiam momento multum est positum: in continenti; illico: mox: antequam offendens pedem referat, adhiberi eam necesse est.

XVII.

Nam quæ ex interuallo fiunt, vindictam potius quam defensionem arguunt.

XVIII.

Excedens modum legitimæ defensionis peccat: ideoq; arbitrio judicis extra ordinem puniri debet.

XIX.

Pro vita & salute hominis tantum permitti defensionis causa occidere, non etiam pro rebus & fortunis, contra iuris interpretes aßerimus.

XX.

Sunt quidem Res, pecunia, bona, præsidium & ſuſtentaculum vitæ: imò ſine ijs hiſce temporibus & hiſce moribus non ſatis commodè viuitur, vel omnino non viuitur, vt non immerito à multis vocentur alter ſanguis hominis: & de ijs nunc verè dicatur, quod eſt in vetere Comœdia.

τ' ἀργύριον ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς,
ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μηδὲ κτήσατο,
οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

& illud Heſiodi:

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

XXI.

Non tamen tanti facienda ſunt, vt ob ea hominem, qui ad Dei æterni imaginem conditus eſt, & cuius cauſa omnes res aliæ ab eodem Deo creatæ ſunt, è medio tollere liceat.

XXII.

Res, opes, facultates, bona per vim ablata, vel etiam furto ſurrepta, multis modis recuperari, & via etiam iuris nonnunquam repeti poſſunt: habens namq; actionem ad rem, ipſam rem habere videtur; per Regulam vulgatam: At vita ſemel ſpoliatus, nunquam in hanc lucem reuocari poteſt: ſed ei

Nox eſt perpetuò una dormienda.

Quod

XXIII.

Quod itaq; vulgo dicitur, vita hominis & bona æquiparantur & paribus paßibus ambulant; erroneum eſt & cum veritate non conſentit.

XXIIII.

Agrorum nocturnos populatores & itinerum obſeſſores: item aſſaßinos & famoſos latrones capiendi, & ſi telo ſe defendant interficiendi poteſtatem cuilibet Lex facit: vt mortem, quam minabantur, excipiant: & id quod intendebant incurrant.

XXV.

Sed rectius noſtro judicio fecerit, qui peſtiferum hoc hominum genus, magiſtratui, cui Deus ſcelerum vindex Gladium, hoc eſt, poteſtatem animaduertendi in maleficos dedit, ſupplicijs afficiendum tradiderit: Nec enim ſingulis concedendum eſt quod per Magiſtratum publicè fieri poßit, ne occaſio ſit maioris tumultus faciendi: per Regulam vulgatam.



COROL.



COROLLARIUM.

I.

CReditor qui pignore utitur, de iure ciuili furtum committit. Sed tamen pœna quæ nunc pro furto ordinarie imponitur, laquei ſcilicet, non eſt puniendus.

II.

Pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, qua, committitur pignus pecunia ad diem creditorj non ſoluta, quia manifeſtam continet iniquitatem, inter Chriſtianos, nec valere, nec locum habere debet.

FINIS.

